DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

COLICA PICTONUM.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JOANNES PRENDERGAST,

HIBERNUS,

Soc. Nat. Stud. Soc. Extraord.

Nec non

Soc. Reg. Med. Edin. Sod.

Neque fingendum aut excogitandum, ſed inveniendum, quid natura faciat aut ferat. BACON.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVI.

BRITISH MUSEUM

Viro integerrimo,

JOANNI PRENDERGAST,

Apud Richmondiam, in comitatu Surriae,

Chariſſimo avunculo ſuo,

Medico ſagaci, felici,

Doctrina fere omnigena ornato;

Urbanitate morum et humanitate nemini ſecundo,

Æque ob beneficia ſane largifica

In ſe, ex plurimis annis, aſſidue collata,

Ac monita, in regendis ſtudiis,

Vere paterna,

Has ſtudiorum primitias,

Qualeſcunque ſint,

Ut parvulum animi haud ingrati

Teſtimonium,

Sacras dicat

AUCTOR.

Dr Letsom
with best respects
from his obed.t humb.le servant
the author

ERRATA.

Pag. 8. Lin. 9. poſt dolore *dele* coma.
14. lin. ult. *Notae, pro* Holl, *lege* Stoll.
17. 11. *pro* indagandum, *lege* indagandam.
23. 10. *pro* ſaturninis, *lege* Saturninis.
24. 5. *Notae, pro* orbo, *lege* orbe.
— 15. —— poſt 1713—p. 357.
25. 12. —— *pro* Hardie, *lege* Hardy.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

COLICA PICTONUM.

ARGUMENTUM hujus disputationis, prae caeteris, aggredior, non spe equidem laudabili suffultus aliquid novi, tam multis, quam improbis celeberrimorum auctorum, adjiciendi laboribus; sed quia dirus hicce humani generis cruciatus, quovis alio mihi multo familiarior esset, propter exempla ejus quamplurima sane, quae in nosocomio Charitatis Parisiensi, per tres et plus annos sedulo perspexi, cel. medico Des Bois De Rochefort, cujus nomen summa laus est, charissimo praeceptore et duce.

De

De morbo noſtro egere quamplurimi celebriores, cum priſci, tum neoterici, propria fere quilibet praeponens nomina; ex operibus eorum nihilominus, ſi perpaucos excipias, praeter nominum ingentem farraginem, et theorias plerumque falſas, parum omnino colligendum eſt. Quoad nomen morbi, aeque acriter, ac perperam ſane, inter medicos diſputatum eſt; et diverſis quibus gaudet titulis probe perpenſis, eum colicae Pictonum ſelegi, cum, quod quovis alio fere vetuſtior eſſet, tum, quod nihil de cauſis remotis ex eo ſtatuere liceat, ut ex nomine colicae Saturninae, bilioſae, ſeroſae, metallicae, et caeteris ejuſmodi, neceſſe eſt; dum de cauſis proegumenis hujus morbi ſub judice adhuc lis reſtat.

Hic obſervandum eſt, quod ſub titulo, quo uſus ſum, vellem intelligi colicam Saturninam et metallicam Junckeri, et aliorum auctorum, ſigulam Du Bois, plumbariorum Ra-

Ramazzini, Damnoniorum Huxamii, *Mill-reek* Wilſonis, *Hutten-katze* Germanorum, *Entrepado* Hiſpanienſium, *Belland* Anglorum, rachialgiam metallicam Aſtrucii et Sauvageſii, et denique colicam nervoſam, ceu *dry belly-ache*, Chamberi et Hillarii.

Quodcunque demum audiat nomen, ab egregio profeſſore noſtro Culleno, ut colicae ſpecies ſummo jure habetur ; et definitionem ſuam, utpote morbum, more ſolito, quam apprime referentem, hic inſerendam curavi : ‘ Colica, praeunte ponderis vel moleſtiae in abdomine, praecipue circa umbilicum, ſenſu ; accedente dolore colico, primum levi, non continuo, et praecipue poſt paſtum aucto ; tandem graviore, et fere perpetuo ; cum dolore brachiorum, et dorſi, in paralyſin demum abeunte *’.

HIS-

* Vide cel. Cullen. Synopſ. Noſol. Method. ed. 4ta, Gen. LIX. Sp. 2.

HISTORIA MORBI.

Quod primam hujus morbi ſpectat originem, in ſpiſſis adhuc tenebris involutum haeret. Hoc ſaltem ſat et ſuper conſtat, ex omnium fere conſenſu, quod Citeſius Pictavienſis ille medicus, qui, circa annum milleſimum ſexcenteſimum decimum ſeptimum, diatribam ſuam ſpecialem de novo et populari apud Pictones dolore, colico bilioſo vulgavit, omnino in errorem incidiſſet *, quando ſeſe primum voluerit haberi, qui hunc morbum probe annotaverat, cum ex ſcriptis quamplurium bene antiquis clare patet, dolorem huncce colicum cognitum fuiſſe, non ſolum inter Arabes, ſed etiam inter Latinos et Graecos, ut fidem faciunt Paulus Ægenita, Avicenna, et quamplurimi alii. Si primus morbi obſervator Citeſius revera non fuiſſet, attamen, primus pro-

* Vid. Lond. Med. Tranſ. tom. I. p. 333.

proculdubio habendus eſt, qui de morbo noſtro tractatum, ex profeſſo, in medium protulerat. Utcunque, quoniam hanc argumenti partem ulterius perſequi, et tempus locuſque vetant ; eam eo lubentius dimitto, quod diſquiſitio talis ad morbi levamen nullo modo equidem conferet.

Miſellus, quem ſaevus hicce cruciatus petit, primum ejus impetum utplurimum perſentit ex doloris obtuſi in regione epigaſtrica ſenſu ; cui brevi accedunt cibi appetentia proſtrata, cardialgia, ructus et nauſea, alvi aſtrictio, vultus pallor, anxietas ſumma. Nec hic ſubſiſtit malum, ſed, pedetentim quaſi creſcens, novas eundo acquirit vires, donec epigaſtrii dolor adeo immanis evadit, et tam acriter, praeſertim circa umbilicum, torquet, quod miſerandus patiens ejulatu totas explet aedes. Venter plerumque ſubſidet, et umbilicus dorſum verſus retrahitur, ut muſculi abdominales ſpaſmo laborare videantur, quod immerito pro ſigno pathognomonico nonnulli ha-

bent, quoniam omnino contrarium interdum contingit; abdominis inflatio et intumeſcentia ejus renitens adeo evadunt, quod umbilicus, inteſtinis coercendis fere impar, ne ipſis egreſſum praebeat timendum foret; herniam vero umbilicalem rarius a tali cauſa eveniſſe lubens concedo. Dolori adhuc firmiter vigenti accedit vomitus, quo bilis ingens copia ſimul cum ventriculi contentis elicitur; ab ingeſtis cujuſlibet fere generis intenditur vomitio; ſed exinde aliquantulum levaminis haud raro exoritur, quo miſer aegrotus meliora ſperare ducitur. Sed, eheu! brevi recrudeſcunt aerumnae, et in pejora ruunt omnia. Dolor qui in regione epigaſtrica, praecipue circa umbilicum, per horas aliquot adeo immaniter ſaeviſſet, nunc alia ſibi vindicat hoſpitia, et tyrannidem ſuam quaquaverſum in omnes fere abdominis partes exerit. In utriſque hypochondriis, et tergum verſus, tam acerbus perſentitur, quod cultro quaſi diſcinderetur corpus exclamat aeger. Ad itinera urinaria

urinaria et inguina fere ſemper transfertur ſtrages, et toties quoties, dyſuria vel nephritis ſimulata exinde oriri ſolet *.

Ex urinis nihil in hoc morbo judicare licet, interdum parcae fluunt vel potius aegerrime ſtillant; nonnunquam vero plane ſufflaminantur; quae redduntur, ſpiſſae aliquando et rubrae, ſaepius vero tenues et limpidae, evadunt. Simili fallacia ſtipatur judicium ex arteriarum pulſu, qui, mirum dictu! inter tot tantaſque machinae turbas, parum omnino mutatur. Sitit plerumque aeger; ſed tamen lingua et fauces humidae explorantur. Pyrexia hujus morbi rariſſima comes vel ſequela eſt, niſi forte medicamentis cieretur †. Secundo vel tertio die, poſtquam altas jam morbus egiſſet radices, flavedo cutis, oculorum adnatae, et unguium, interdum notanda eſt; unde nonnihil

* Vid. Huxham on the Devonſhire colic, p. 6. Citeſium de colico dolore Pictonico, p. 170.

† Vid. Warren de Colica Pictonum, Lond. Med. Tranſ. tom. II. p. 72. Huxham, loc. cit. p. 9.

nonnihil quietis plerumque provenit ; aliquot horis autem elapſis, icterus evaneſcit, et iterum intenduntur dolores. Alvus adhuc tam pertinaciter obſerata perſtat, quod ſponte nihil, clyſmatibus accerrimis ſollicitata, parum tantummodo dejicit. Faeces quae eliciuntur nigricantes ſaepe et viſcidae perſpiciuntur ; multoties vero in globulos induratos, ad inſtar ſtercoris ovilli vel caprini, compactae. Tali vi ſpaſtica quandoque introtrahitur anus, quod, niſi vi magna ſipho quo enema adhibetur introire nequeat. Inteſtina non tantum his doloribus excruciantur, quin etiam imi ventris muſculi et tegumenta ; quo manuum aut ſtragulorum vel leviuſculum tactum omnino reformidant aegri. Attamen, accidit nonnunquam, quod, ex compreſſione ventris valida facta, haud parum mitigantur dolores. Poſtquam jam per dies aliquot perſtiterit dolor, induciis brevioribus ſolummodo interjectis, aegrorum vires deficere incipiunt, animumque plane deſpondent. Pulſus exiles et inaequales explorantur : frigeſcunt,

gescunt artus, et ex corpore fere integro emanant sudores lenti et frigidi. Nunc ventris dolores paululum mitescunt; sed post brevi, viribus redintegratis, in artus plerumque supernos, aliquando etiam infernos, impetum suum, arthritici aut rheumatici aemulum, faciunt; abdominis et artuum doloribus, alternis vicibus, sese plerumque mutuo excipientibus; nec ullus qui levet somnus, nec ulla quae soletur quies! Tandem, pro malorum cumulo, artuum cruciatus in eorundem resolutionem vel paralysin fere semper transeunt, sensu aliquo obtuso superstite.

Artuum paresis haecce tam nota, tamque fidelis hujus morbi sequela est, (ni forsan tempestivis et opportunis remediis, in exordio, reprimerentur dolores) quod plurimi, eandem, utpote morbi crisin, inviserunt: sed, eorum pace, perperam omnino ita censuissent; nam saepe saepius evenit, quod ventris tormina, post paralysin inchoatam, aliquantulum mitiora facta, brevi de novo exsurgunt,

exſurgunt, et miſeros quam unquam impenſius dilaniant, aut cum paralyſi invicem alternant *.

Aſt vero non deſunt exempla (adeo inconſtans et Protei formis revera evadit colica noſtra) ubi artuum paralyſis primos abdominis cruciatus excepit. Sic ait cel. Huxham, " I knew a certain innkeeper attacked in a truly ſurpriſing manner, for he almoſt entirely loſt the uſe of his hands and arms, though before a ſtrong man, antecedent to any other ſymptom of the malady; nor did any come on for a day or two, only that he ſeemed to be a little more languid than ordinary; however, very ſoon after,

* Quibuſdam, inquit cel. De Haen, oborta paralyſi, ſaevus colicae dolor remittitur; nonnullis autem omnino exulat; quam ob rem, allegatorum autorum plurimi eandem cenſent colicae pictonum criſin. At vero perperam ſic cenſuiſſe reor; quum plures viderim quibus poſt paralyſin colica, qua olim ſaevitie perennaret, aut, ſi quandoque recrudeſceret pauxillulum, mox ferox recrudeſceret. Vid. Anton. De Haen oper. poſthum. a Holl. edit. vol. I. p. 404—5.

after, both a vomiting and colic ſeized him, and at length a rheumatic pain tormented the paralytic limb *".

Talis evadit ſeries phaenomenon huic morbo maxime propria, quae omnia nunquam ſimul et ſemel, rarius ſaltem in eodem aegroto, conſpiciuntur, ni morbus ſibi ipſi, vel, quod pejus ſit, imperitorum curae traderetur.

Reſtant vero adhuc et alia enumeranda mala chronica, ſupra dictis longe rariora, quae, utpote hujus morbi ſequelae, debent interdum haberi, ut caecitas, ſurditas, aphonia, et aſthma, morbus comitialis, apoplexia, contumaciſſimus icterus, anaſarca; vel, e contra, omnium frequentiſſima, totius corporis quaſi exſiccatio, aut maraſmus, cum paralyſi fere diuturna.

Sic ad debita vitae munia exequenda penitus inepti evadunt miſeri, qui ita afficiuntur,

* Vid. Huxham, loco. cit. p. 10.

tur, donec diu ſperata mors moram ulteriorem vetat. Hoc morbi ſtadium quam pulcherrime delineavit Citeſius, loc cit. ‘ Poſt aliquot menſes, inquit, ſua artubus vi aliquantiſper reſtituta, per vicos, veluti larvae, aut arte progredientes ſtatuae, pallidi, ſqualidi, macilenti, identidem conſpiciuntur, manibus incurvis et ſuo pondere pendulis, nec niſi arte ad os et caeteras ſupernas partes ſublatis, ac pedibus non ſuis, ſed crurum muſculis, ad ridiculum, ni miſerandum, inceſſum compoſitis, voce clangoſa et ſtrepera.’

Nonnullis videbatur colica haecce, in autumno praeſertim, plagas quaſdam endemice aut quaſi epidemice infeſtare *, et hoc negare ſane non audemus ; ſed optimis ſuper hoc morbo ſcriptis, veraque ejuſdem indole, caute perpenſis, nullam anni tempeſtatem, nullumve ſexum aut aetatem, nobis videtur omnino fugere. Nihilominus, quo teneriores plerumque ſint homines, quove ſegnius

* Vid. Citeſium, Muſgravium, et Huxham.

ſegnius alvum ſoleant dejicere, eo proclivi-ores ad hunc morbum habendi ſunt.

Denique, obſervatu dignum eſt, quod nonnulli quadrupedes, aves, et piſces, eodem fere modo ac ſpecies humana, hoc malo interdum infeſtantur *.

INSPECTIO ANATOMICA.

Cadavera hoc morbo defunctorum, cultro anatomico expoſita, parum omnino exhibent, quo facilius ad morbi cauſam indagandum duceremur. Tenuia inteſtina interdum bile porracea, vel nigricante, interdum vero materia glutinoſa, rarius purulenta, ſcatent; aliquando flatibus turgida, crebrius autem coarctata quaſi a circumducto filo conſtricta, explorantur. Craſſiora

* Vide Percival on the poiſon of lead, p. 24. 25—35. Wilſon's account of the Mill-Reek, Phyſical Eſſays, vol I. p. 161.

plerumque ſcybalis compactis et exſiccatis repleta deprehenduntur. Cl. Piſo jamdudum demonſtravit, in ejuſmodi cadavere, copia haud parva ſeri encephalon repleri, ubi cerebrum locatur, totumque principium ſpinalis medullae in aqua plurima innatare; aperto demum cerebello, non ſolum ventriculum quartum aqua ſcatere, ſed et ſubſtantiam ipſam eadem praegnantem totamque imbutam *. Hinc cel. auctor, nubem pro Junone amplectens, ſerum utpote morbi cauſam incuſavit, quod nihil aliud, praeter ejuſdem effectum, revera fuerat.

Egregius Bonetus, pari ratione, videtur erraſſe, ubi cadaver poſt hunc morbum exhibebat hepar magnum, et obſtructum, veſicam felleam nigra bile turgidam, ventriculum humore viride extenſum, et colon flatibus duriſque faecibus expanſum, unde bilem illico pro cauſa haberi decrevit †, et obite

* Vid. Piſon. de Collica Seroſa, ſect. IV. cap. 2.

† Vid. Boneti Sepulchr. Anatom. lib. I. obſervat. 6.

obiter dicam cum cel. De Haen, eſtque hic egregiorum virorum perſcrutandis cadaveribus ſolertiſſimorum frequens error, ut morbi cauſam ſtatuunt id, quod praeter naturam in iis detexere; quamvis id ipſum ſaepius effectus ſit, quam cauſa morborum.

CAUSA PROXIMA.

In hiſtoria jamjam peracta, morbi phaenomena, quantum ex propria autopſia, vel ſedula auctorum perlectione, mihi innotuere, fideliter, ut potuerim, recenſui; et in hoc capitulo, ſicut ordini materiae maxime placeat, ad ejuſdem cauſam proximam, ſeu morbi naturam, inveſtigandam tranſco.

Inter ſymptomata huic morbo propria, poſuimus umbilici, muſculorum abdominalium.

lium, ani, et teſticuli in maribus, introtractionem ſpaſticam; urinae etiam et faecum alvinarum ſuppreſſionem fere abſolutam. Notavimus praeterea, quod urinae jam redditae, raro citrinae aut rubrae, plerumque vero tenues et limpidae, obſervatae fuiſſent, ut in aliis morbis ſpaſmodicis ſoleant videri.

Dejectiones alvinae pariter, globoſa earum figura et duritie, ſatis liquido demonſtrant conſtrictioni validae ſubiſſe eaſdem. Conſtrictionibus inteſtinorum inſuper notiſſimis, quales plus ſimplici vice in ejuſmodi cadaveribus ipſemet vidi, et apud auctores integerrima fide dignos ſaepius inveni traditas, cum praedictis ſimul rite aeſtimatis, nullus dubito, quin ſpaſmus inteſtinorum pro cauſa morbi proxima, ſummo jure, ſtatuendus ſit; hancce ſententiam magis adhuc evincunt fauſti, et mirandi equidem effectus, quos, in hoc morbo, remedia antiſpaſmodica edere ſolent.

CAUSAE

CAUSAE REMOTAE.

Hae poteſtates ſunt quae corpus ad morbum proclive reddunt, vel in corpore ſic proclive facto morbum cient moventque. Fere omnes qui de colica Pictavienſi ſcripſerunt (ſi cel. Bakerum excipias) complures ejuſdem cauſas remotas enumeraverant; ſed exindene debemus, (quaſi in horum cel. auctorum verba jurantes) tot cauſas, quotquot ſint, inter ſemetipſas maxime diſcrepantes, ac a via naturae pulchra et ſimplici utplurimum abhorrentes, pro veris et aequis accipere? Minime proculdubio, et, ni multum fallor, cuicunque has cauſas ſecum caute revolventi, primo viſu, patebit, potius fervidis ingeniis, quam ſano judicio aut experientiae fideli, plerumque inniti eaſdem.

Quan-

Quanquam certior factus ſim, nullum aliud hujus morbi verum et efficiens exiſtere principium, praeter plumbi ſales aut calces; tamen, quoniam plerique omnes, ut jam dixi, opinionem contrariam amplexi ſunt, neceſſe mihi viſum eſt aliquid de eorum ſententiis, in genere, hoc loco proferendum eſſe. Citeſius abuſum ſex rerum non naturalium, ſed praecipue vina acerba et auſtera, utpote cauſas remotas, incuſaverat. Huxamus autem eandem petiit ex tartaro, quo pomaceum Damnoniorum uberrime ſcatet. Hillario contra magis arridebant ſpiritus vinoſi fortes, praeſertim ex ſaccharo confecti. Tronchinus demum octo talium cauſarum (inconſulte ſine dubio) annumerat, febres intermittentes, ſcilicet, cortice Peruviano, vel alias, citius quo par eſt cohibitas, venena metallica, liquores acidos, aut aceſcentes, arthritidem et rheumatiſmum, ſcorbutum, perſpirationem occluſam, atram bilem, et denique animi perturbationes.

Ex

Ex cauſis tamen adhuc recenſitis, multis equidem atque diverſis, praeter illas ubi plumbum rite et legitime ſuſpicari debeat, nihil omnino ad rem noſtram, me judice, colligendum eſt ; quapropter caeteras, quotquot ſint, ex toto rejicio, ſine ullo alio commentario, praeterquam quod neque experimentis, neque ratiocinio, mihi videantur ſuffultae. Dum contra, in praeparationibus ſaturninis ſolis, cauſam invenimus efficaciſſimam, nunquam fere non fidelem, omnibus notiſſimam, atque rationi denique, nec non experimentis quamplurimis, firmiter innixam. Si ita ſe res habeat, ut mihi revera videtur, cui bono, quaeſo, ad cauſas maxime obſcuras, ambiguaſque, ne dicam omnino falſas, confugiemus ? Nonne ſatius, ut in philoſophia, ſic etiam in medicina, veſtigiis immortalis Newtoni ſedulo adhaerere, qui, pro regula philoſophandi prima, ponit, ‘ cauſas rerum naturalium non plures admitti debere, quam quae et verae ſint et earum phaenomenis explicandis ſufficiant ; natura enim, inquit idem egregius philo-

philoſophus, ſimplex eſt, et rerum cauſis ſuperfluis non luxuriat *.'

Reſtat ut experimenta rationeſque, quibus innititur ſententia noſtra, hic proferem, quod mihi, ſi adhuc intactum, aut imperfectum, valde pergratum fuerat negotium; ſed, quoniam plurimi ſolertiores Angliae medici, quam nuperrime ſuper hac re ſedulam navaverint operam, eandemque, experimentis fere innumeris feliciſſimo cum eventu, ut opinor, attingerint, benevolum lectorem maluerim ad eorundem opera, ut fontem et originem, relegare, quam ingrato recitatoris perfungi officio †. Ex auctorum,

* Vid. Newton Philoſoph. Natur. Princip. Mathemat. Edit. Cantabrigiae 1713.

† Georgius Baker, eques, primus fuit, ni fallor, qui plumbum, pro ſolo et vero colicae Pictonum principio, ſuſpicatum habere auſus eſt. In hac inveſtigatione eruditus hicce medicus, ob impavidos et perutiles ſane labores, optime de patria deque toto orbo meruit.

Vid. Baker's Inquiry concerning the Cauſe of the Endemial Colic of Devon; Lond. Med. Tranſ. tom. I. p. 175.

rum, quos infra laudavimus, experimentis, permultis revera, et ſumma cura peractis, corollarium ſequens, quaſi ſponte, emanat, ſcilicet, quod in omni caſu colicae pictonum, quamvis plumbum, utpote efficientem cauſam unicam, palam et certe comprobari forte nequeat; attamen, in nullis ejuſmodi caſibus, ſemper non ſuſpicandum eſſe; cum his diebus ſatis certo compertum ſit, mille fere diverſis viis corporibus humanis ſubire poſſe venenum hocce, eadem-

175. An examination of the ſeveral means by which the poiſon of lead may be ſuppoſed frequently to gain admittance into the human body unobſerved and unſuſpected; ib. p. 257. An examination of the ſeveral cauſes to which the colic of Poitou has been attributed; ib. p. 364. Additional obſervations concerning the colic of Poitou, ab eodem auctore; Lond. Med. Tranſ. tom. III. p. 407. Some experiments made upon rum, in order to aſcertain the cauſe of the colic frequent among the ſoldiers in the iſland of Jamaica in the years 1781, 1782, by John Hunter phyſician to the army; ib. 227. Vid. Percival on the Poiſon of Lead; Wall's Med. Tracts; Hardie on the Colic of Devon; et denique Fothergill's Obſervations on Diſorders to which Painters in Water-colours are expoſed; Oper. poſthum. J. Fothergill, tom. II. p. 269.

que diu permeare, et torquere, citra vel minimam cauſae cognitionem ; nec hoc ſane mirandum eſt, quando in animo revolvemus, quot uſibus, ſive domeſticis, ſive medicamentariis, ſeu denique artibus quamplurimis, quas humana finxit imaginatio, inſerviat plumbum ; acida porro imbeciliora, ſeu vegetabilia, non ſolum veneficium hocce ſolvunt, quin etiam ſubſtantiae pingues, oleoſae, demumque aqua ipſa ſimplex. ' Caveant ergo homines venenum, quod, odore carens et ſapore, tanto pejus afficit, quo irrepit tectius ; nec ſe manifeſtat, niſi in devictis jam corporibus *'.

Nemo, omni praejudicio vacuus, ni fallor, qui praedicta de cauſis remotis hujus morbi ſedulo perleget, mihi non aſſentiet, affirmanti, 1mo, Quod, quamvis auctores fere omnes concedant, colicam Pictavienſem a cauſis multis atque diverſis poſſe oriri, tamen a nullo auctore, quantum ſcio, probetur

* Vid. Boerh. Chem. part 2. proc. 171. De ceruſſa agentis.

probetur idem ; deeſt enim eorum ſcriptis, vel unus ejuſmodi caſus, deſuntque, procul ullo dubio, ratiocinia.

2do, Quod licet fines, quos ſcientiae humanae impoſuit ſagax natura, vetent plumbum ut ſolum et unicum morbi aſſerere principium, tamen quam veriſimile videatur, cum dolor colicus ſaeviſſimus, conſtipatio omnibus fere remediis rebellis, ejuſque ſequela, artuum paralyſis, hujus veneni, hujuſque ſolius, (quantum ad hanc uſque diem novimus), ſint fideliſſimi effectus ; cumque denique illis praecipue familiaris ſit, et quaſi propria, colica haecce, qui plumbum quomodocunque tractant, ſicut pictoribus, figulis, atque vini, pomacei, aliuſve lithargyrio mangonizati liquoris potoribus.

DIAGNOSIS.

Si, ex initio, charactere ſibi proprio inducerit morbus, ne cum quovis alio confunderetur minime timendum foret. Aliquando vero contrarium accidit, et, prima vel ſecunda morbi die, non niſi aliquo diſcrimine, verum ejus typum afferere poſſumus. Praeter diarrhoeam vel dyſenteriam autem, nullus mihi innoteſcit morbus, quem colica noſtra poſſet mentire ; et quoniam inter omnes conceditur rariſſime evenire, quod alvi fluxu aut teneſmo ſtipatur colica Pictonum, vix mihi operae pretium videtur fines ponere, quibus ab his morbis internoſcatur ; nihilominus hanc rem, ſolito more, paucis attingere conabor. A diarrhoea diſtinguitur colica Pictavienſis, 1mo, Ex ſede et natura doloris ; in illa enim dolor levior, vagus, et brevi durans eſt, in hac autem contumaciſſimus, fixus, praecipue

circa umbilicum torquens, et plerumque cum ejuſdem introtractione. 2do, Ex levamine quod afferunt ſedes; in diarrhoea enim dejectione ventris plerumque mitigantur tormina; ſed in colica hacce potius intenduntur. 3tio, Denique, ex arte quam exercebat aeger, aſſueta ratione vivendi, et imprimis, ex liquoribus vel medicamentis quibus uſus fuit.

A dyſenteria tota facie fere differt colica Pictonum, et, ſi teneſmum excipias, qui in hac aliquando fortaſſe urgeat, nihil reſtat quo pro dyſenteria haberi poterit.

PROGNOSIS.

Vix ullus, aeque gravis ac colica Pictonum, morbus, adeo periculi expers evadit. Spatio enim quatuor aut quinque dierum, ut ſaepius vidi, quamvis neque levis ſit morbus,

morbus, neque omnino recens, ſi remediis idoneis adverſaretur, ex toto plerumque tollitur; vel ſiquidem aliquando ſanitatem abſolutam aegro reddere non poſſemus, perraro tamen in mortem, multoties vero in artuum paralyſin, aphoniam, icterum, aut aliquem alium morbum chronicum, abit colica haecce.

Praeſagium noſtrum ex corporis ſtatu, ſeu temperamento, ex natura et copia principii morbi aſſumpta, atque denique ex ſymptomatum vehementia ſtatuendum eſt.

Quo ficciora et magis irritabilia ſint hominum corpora, eo magis colicae Pictonum non ſolum opportuna fiant, ſed in his etiam eo gravior morbus, et majori in periculo verſabuntur.

Si diu, vel larga copia, cauſa efficiens corpori interno aut externo applicetur, graviores, et majori periculo repletos edat effectus, neceſſe eſt. Dolor, vomitus, et alvi

alvi aſtrictio, nullis remediis ſiſtendi, pulſuum intermiſſio cum debilitate ſumma, ingens praenunciant periculum, ſed non ſemper mortem.

Raro ante unum alterumve menſem occidit colica noſtra ; et ſigna quae mortem indicant plerumque ſequentia ſunt : Nervoſi generis imprimis validi affectus, ut lethargus, epilepſia, aphonia, caecitas, doloris poſt adhibita remedia augmentum, et hydrops demum poſt paralyſin.

RATIO MEDENDI.

Ad ultimum nunc utiliſſimumque hujus opuſculi capitulum pervenimus, modum, ſcilicet, ſanitatem priſtinam amiſſam reſtituendi miſeris. De hoc vero ſimilis ſententiarum diverſitas, ac de morbi cauſis, oriatur neceſſe eſt ; et dum alii ſententias

ſuas

ſuas totis viribus vindicare nituntur, alios invenimus, qui iſtas, utpote omnino falſas, et maximi repletas periculi, aeque acriter rejiciunt, ſuaſque theorias proprias, earum loco, cum ſumma recti fiducia, ſubſtituunt; hi vero brevi poſt eaſdem ac priores invicem luunt poenas; et ſic de caeteris.

In uſu remediorum purgantium tamen, ſive ore ſumpta ſint, ſeu forma enematum, omnes conveniunt; minus vero de eorundem genere, purgantia mitiora, ſeu eccoprotica pleriſque, arrident; nonnulli autem talia remedia omnino vituperantes, fortiora acria, *vulgo* draſtica, maluerint.

Venaeſectio ſuis non caruit laudibus; emetica vero, epiſpaſtica, opiata, balneum calidum et frigidum, maxima audiunt encomia. De his ergo in ordine paucis attingere conabor.

Purgantia.—Cum jam ſatis certo, ni fallor, probatum ſit, ſpaſmum inteſtinorum colicam

colicam noſtram revera conſtituiſſe, nil mirandum, quod ad uſum purgantium illico confugiant omnes, utpote modum efficaciſſimum morbum ſolvendi. Auctores nihilominus haud parum inter ſeſe diſcrepant quoad genus purgantium, quo uti oporteat. Plerique medici (praecipue Anglici) purgatoria leniora, ſeu laxantia, ſola volunt, ut ſales medios, et imprimis ſal. cathar. amarum, cryſtall. tartari, alumen, &c. Vel ex oleoſis, oleum ricini, quod omnibus aliis ejuſmodi palmam plane praeripit. In quaeſtione autem hujus generis, ubi celeberrimi artis ſalutiferae magiſtri ſententias tam oppoſitas amplexi ſunt, vix audeam ſane tantas, inter eos, componere lites; neque propoſito neceſſe videtur. Hoc ſaltem dicam, quod laudato charitatis Pariſienſi noſocomio incumbens, ex plurimis exemplis, pro certo habuerim, purgantia draſtica, repetitis vicibus, in hoc morbo exhiberi poſſe, ſine metu aut veſtigio vel leviuſculae inflammationis; ſed contra, plerumque cum ſummo et mirando equidem graviorum ſymptomatum

levamine. Ex dictis tamen nollem intelligi, quod in omni caſu colicae Pictonum ad draſtica confugiendum ſit; in his ſolis enim talem praxin, utilem et neceſſariam duco, (opiatis ſemper aſſidue interjectis, vel etiam praemiſſis), ubi morbus ſymptomatis ſaevioribus ſtipari videatur, ubique omnis inflammatio (ut fere ſemper in hacce colicae ſpecie accidit) omnino abſit. Sin vero lenior evadet morbus, laxantia et emollientia, cum opiatis, ore ſumpta, vel forma enematum adhibita, ſatis fauſte, in genere, votis reſpondere poſſent.

Venaeſectio.—Quoniam diatheſis phlogiſtica, vel etiam inflammatio inteſtinorum topica, morbo noſtro fere ſemper aliena ſit, ſic a ſanguinis detractione caute utplurimum abſtinendum eſt. Ill. Huxamus, de vena ſecanda in colica Damnonienſium agens, ſententiam noſtram adeo graphice illuſtrat, errorem proprium honeſte agnoſcendo, quod omnino operae pretium aeſtimaverim verba praeclari auctoris, in lingua verna-

vernacula, hoc loco inſerenda: ‘I confeſs, indeed, that, before I was thoroughly acquainted with the nature of the diſeaſe, I ordered ſome to be bled, with a view to abate the exceſſive violence of the pain; but it was far from anſwering my end, for they almoſt all fell into very great faintings *.’ Cel. Warren eandem ſententiam de ſanguinis miſſione magis adhuc, ſuo aſſenſu, confirmat, quando colicam noſtram minime inflammationi affinem aſſerit, neque cur inteſtinorum gangraenam timeamus, quamvis conſtipatio per plures dies duraret, ſimul cum abdominis tenſione ſatis valida; quapropter ſanguinis detractionem, niſi plane adſit febris, omnino vituperat laudatus auctor, utpote praxin nunquam fere non inutilem, ſaepe vero plurima noxa repletam †. Caetera teſtimonia fere innumera, ad hanc ſententiam ulterius roborandam, hic proferre, foret, ut opinor, teſtibus non neceſſariis in re minime dubitanda uti.

Emetica,

* Vide Huxam, loc. cit. p. 33.

† Vid. Warren, de Col. Pict. l. c. p. 84.

Emetica.—De uſu emeticorum ſimilis, ac de praedictis remediis, inter auctores diſcrepantia. Huxamus multique alii vomitionem, ſpontaneam adeo frequentem hujus morbi comitem aſpicientes, conſilium omnino ſanum aeſtimaverunt, eandem arte promovere, et hoc modo revera morbi ſolutionem tentare incipiebant. Plerique vero ſolertiores nunc dierum tali praxi alieni videntur.

Nihilominus, ſi morbus adhuc recens ſit, haud dubitarem emeticum, ad unam alteramve vicem exhibere, quo ſpaſmus inteſtinorum aliquatenus forſan ſolvetur, et venenum ipſum, quod morbum movet, ex parte eliminetur. Si vires aegri infractae perſtent, tartarum emeticum parvis ſed repetitis doſibus, ad vomitum uſque adhibitum, ſurſum atque deorſum evacuando, ſatis fauſtos poteſt edere effectus. Sin contra autem, ſatius foret ipec. infuſo chamaemeli, vel aqua ipſa tepida, ad hunc finem, uti.

Epiſpaſtica.

Epiſpaſtica.—Neminem hodie in phyſiologia verſatum fugit, maximum inter cutem et inteſtina exiſtere conſenſum, quo mutuo ab iiſdem potentiis, gratis vel nocivis, valde afficiuntur; ideoque veſicatoria imo ventri applicata, utpote vi antiſpaſmodica ſatis valida pollentia, haud raro prodeſſe dicuntur: 'Methodus Aſiaticorum, inquit De Haenius, Japonientium, Javanientium, &c. in perſanandis colicis uſtione, acrium applicatione, punctione, dolorem in ſanis partibus felici rerum ſucceſſu excitans, abunde hoc probat. Sicque forſan Hippocratis aphoriſ. 46. ſect. 2. duobus doloribus ſimul obortis non in eodem loco, vehementior alterum obſcurat, intelligenda[a] eſt.'

Opiata.—Ex primo hujus morbi viſu patet antiſpaſmodica et anodyna plane indicata eſſe, et cum in opio ſolo (cohortis antiſpaſmodicae atque hypnoticae principe) has vires quam apprime conjunctas inveniamus, nullum aut aptius aut efficacius aliud videtur remedium, quo his indicationibus ſatisfacere

facere poſſemus ; ſicque colicae Pictonum rationem medendi ab ejus uſu ſemper incipiendam curabant De Haenius, Hillarius, multique alii, feliciſſimo cum eventu, ſi his cel. auctoribus fidem facere liceat. Plurimi autem de hac praxi adhuc dubii haerent ; nonnulli etiam uſum opiatum ex toto inconſulte rejiciunt, ex metu quod ab eo potius intenderetur, quam ſolveretur, conſtipatio. Si rite vero rem aeſtimarem, pyrrhoniſmus hujuſmodi omnino evaneſcere debeat ex centenis fere caſibus, ubi pro certo conſtat opium, vel ex initio hujus morbi, exhiberi poſſe, non ſolum abſque mali augmento, quin ſemper pene cum ejuſdem ſummo levamine. Ideoque ſanam ducerem praxin opiatum uſum, in primo morbi exordio, catharticis praemiſſum ; hoc enim modo, doloris cruciatus non ſolum conſopiri pro certo poteſt, quinetiam purgantia ad alvum ciendam certius forſan valerent. Poſtquam catharticum deſideratos edidit effectus, iterum ad

uſum

uſum opii redeamus, ut modum efficaciſſimum torminibus ab actione purgantium ortis vel oriundis obviam eundi, ſomnumque eodem tempore aegro conciliandi. Doſis atque forma hujus remedii, ut omnis fere alius, pro re nata variandae ſunt; ſi dolor enim ſaeviſſimus adſit, haud parca manu adhiberi oportet, ad gr. ij. ſcilicet, opii puri, altera quaque hora, ad ſecundam aut tertiam uſque vicem, vel forma fluidi tinct. thebaic. gtt. XL. aut L. pro doſi. Si opiata ore ſumpta vomitu forſan rejicerentur, ut ſaepius evenit, injiciatur illico clyſma cum laudani gtt. L. vel LX. ut neceſſe videatur, repetendum.

Balneum calidum.—Vis antiſpaſmodica qua gaudet aqua calida nulli non innoteſcit; vix neceſſarium ergo videtur hic loci notare, quod ad ejus uſum, utpote ſuccedaneum ſatis utile, aeque ad ſaevitiem doloris ſopiendam, ac purgantium vires certiores reddendas, ſemper confugiendum ſit. Si vires aegri patiantur, balneum generale ſeu inte-

integrum, ut quavis alia forma valentius, conciliandum eſt; ſin minus autem, forma ſemicupii adhibeatur. Epithemata etiam calida, cum laudano, ſuris, cruribus, imoque ventri adplicata, haud parum prodeſſe poſſunt.

Balneum frigidum.—Citeſius inter remedia externa corpori admota, in colica Pictavienſi, balneum frigidum haud negligendum monet. ‘ Mirum, ait, hoc fortaſſe quibuſdam videbitur. Mirabuntur magis ſi ſciant nos, etiam media hyeme, tempore tamen pluvio, aegros linteis incluſos fluvio immergere coactos, pleroſque ſanitati reſtituiſſe, cujus rei teſtes omnes cives habemus *’. Apud De Haenium, Bakerum, alioſque, huc et illuc extant caſus aliquot colicae, ubi conſtipatio, omnibus aliis remediis plane rebellis, balneo frigido, vel gelu ipſo aut nivi, abdomini artibuſque inferiobus applicato, incantamenti quaſi inſtar, cederet. Niſi in extremis tamen (ubi anceps

* Vid. Fr. Citeſium, l. c. p. 215.

ceps quam nullum remedium ſatius experiri foret), ad hocce confugere nollem.

Medicamenta jam laudata optima mihi viſa ſunt ad colicam ipſam ſanandam, aliquando etiam ad recentem paralyſin, hujus morbi frequentiſſimam ſequelam, ſubito ſolvendam ; et rarius equidem non votis reſpondebunt perite adhibita. Aſt vero, ſiquidem paralyſis diuturna evaderit, nec remediis recenſitis minime paruerit, tunc alium medendi modum plane ſibi vindicat, et ad tonica atque ſtimulantia confugere oportet. De Haenius, Percivallius, &c. electricitatem rite exhibitam multum ad hunc finem prodeſſe aſſerunt. Ferrum etiam, Peruvianum corticem, aquas medicatas, ſeu thermas, dietam ſatis lautam, alvum modice ſolutam, frictionem partium laborantium, frigida iiſdem applicata, demumque exercitationem modicam, praeſertim ipſorum artuum, quantum fieri poſſet, omnino concilianda vellem.

Morbi reditui aptiſſime occurrunt alvum molliter laxantia, victus concoctu facilis, atque cauſae remotae evitatio provida.

Quae de colica Pictonum differere decrevi nunc ad finem perduxi ; nec finem tamen huic opellae, qualiſcunque ſit, omnino imponere queam, quin grates ex animo Profeſſoribus hujus celeberrimae academiae praecellentibus perſolvem, quorum excellentiſſimis praelectionibus per biennium incumbens optima de re medica exhauſi. Nec non Henrico Cullen, uni e medicis noſocomii Edinenſis regii, chariſſimo amico ſuo, paterna doctrinâ, atque morum urbanitate, ad amuſſim ornato.

F I N I S.